

SANCTISS. D. N. SIXTI. PP. V.
CONSTITVTIO

Contra illegitimos, legitimatos, criminosos, & reddēdis rationibus obnoxios ad aliquam Religionem transire volentes. Et contra Regulares absq̄ Superiorum licentia de Prouincia in Prouinciam euntes, seu transmigrantes.



SIXTVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.



VM De omnibus Ecclesiasticis ordinibus in ea qua conuenit puritate, & dignitate conseruandis, præcipuam geramus sollicitudinem, tum vero illud præter cætera nobis cordi est, vti Regulariū personarum Congregationibus, quas tanquam Deo dicatas maxime candor, sanctitasque decet, cuiuscunque criminis aut turpitudinis labes & scandali occasio quam longissi me arceantur. Si quidem res ipsa nos admonet, quam indecorum sit,

*In teniti
ca. 1.º
12.º.º.º
hp. 23.º.º.
Leuit. 21.
C. 1.º.º.º.
Leuit. 22.
C. 1.º.º.º.*

& ab ea, quæ diuinæ Maiestati, eique consecratis personis debetur, reuerentia, alienum, si eiusmodi homines, qui propter sua scelera, pœnas graues sibi in sæculo propositas timeant, quiue propter immunditiam, & peccata ex quibus orti sunt, notati perpetua ignominia ab omni mundano honore, & a paterna hæreditate repelluntur, ijdem omnipotentis Deo, tanquam hostiæ offerantur, atque ad habitandum in domo, quam decet honor & sanctitudo, inter ministros Domini, cui seruire regnare est, ad sacras functiones quacunque profana præeminentia multo nobiliores, sine vlllo delectu admittantur. Cum ritam secundum legem Moyfi, immundi ab ingressu sanctuarij excluderentur, ac sacerdos habens maculam panes Deo suo offerre nõ posset, nec accedere ad ministerium eius & quod in holocaustum Domini aut victimam pacificorum offerebatur, id immaculatum esse deberet, vt acceptabile foret, nec vlla macula esset in eo, quod si maculam habuisset, neque offerendum, neque acceptabile futurum esset.

Ne igitur contingat illegitime genitos, qui vt plurimum parentum vitia & incontinentiam imitari solent, nec pietatis studio, sed temporalium comodorum intuitu (quia hæreditates maiorum aut dignitates aliquas consequi non possunt) ad Religionē confugiunt, vltam quam animo a Religione alieno susceperunt ab institutis Religiosis alienam, plerumque cum dedecore & propriæ salutis dispedio ducere, suisque corruptis moribus, & malis exemplis, quietem & statum cæterorum Deo famulantium perturbare, aut hac quasi face & colluue ipsarum Religionum honorem, & existimationem lædi, vt deniq̄ homines, qui hac spe ad filios spurios in peccato gignendos essent propensiores, eo magis abstineant ab huiusmodi carnis flagitijs, quo suæ proli hoc quoque refugium præclusum viderint; Hac nostra in perpetuum valitura cõstitutione districtè interdiciamus, & prohibemus,

QUOCIRCA Venerabilibus fratribus nostris, S. R. E. Cardinalibus dictorum
ordinum, Congregationum, Hospitalium, & locorum Regularium apud nos, & Sedem
Apostolicam protectoribus, nunc, & pro tempore existentibus, ac locorum ordinarij,
praefatis, per Apostolica scripta mandamus, vt eorum vnusquisque, per se, vel alium, seu
alios, Cardinalis quidem in suae protectionis, ordinarij vero in suarum Ciuitatum, dice-
cesum, & districtuum regularibus locis, curent praesentes litteras publicari, easque perpe-
tuo firmiter, & inuiolate obseruari, inobedientes, censuras, & poenas praedictas incurrisse
declarando, illasque etiam iteratis vicibus aggravando, Inuocato etiam si opus fuerit,
auxilio brachij saecularis.

NON Obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, nec non quoru-
cunque ordinum, Congregationum, Hospitalium, & Religionum iuramento, confirma-
tione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuile-
gijs quoque indultis, & litteris Apostolicis quorūcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus praesentis Constitutionis impe-
diri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorūque totis tenoribus habenda sit
in his litteris mentio specialis. Quae omnia quatenus eidem constitutioni in aliquo ad-
uerfentur, illorum tenores pro expressis habentes, perpetuo tollimus, annullamus &
abrogamus, ac nolumus cuiquam suffragari, aut si Superioribus, & personis dictorum
Ordinum, Congregationum, Hospitalium cōiuniter, vel diuisim ab Apostolica sit Se-
de indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apo-
stolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmo-
di mentionem.

MANDAMVS Vero easdem praesentes ad vultus Basilicae Principis Apostolo-
rum de Vrbe, ac Cancellariae Apostolicae de more publicari, & affigi, illarūq; exem-
plis etiam impressis, Praelati Ecclesiastici sigillo, & Notario publico sub scriptis, eandem fidem in iudicio, & extra illud haberi, quae originalibus haberetur, si
essent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostro-
rum interdictorum, prohibitionum, statutorum, ordinationum, declarationum, decreto-
rū, volūtātū, permissionis, irritationis, annullationis, iustionis, priuationis, praeccepti, sub-
lationis, abrogationis, & mōdatōrū infringere, vel ei ausu temerario cōtraire. Si quis autē
hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorū Petri, & Pauli
Apostolorum eius se nouerit incursum. Dat. Roma apud Sanctum Petrum, Anno In-
carnationis Dominicae, Millesimo Quingentesimo Octauagesimo Septimo, Sexto Cal.
Decemb. Pontificatus nostri anno Tertio.

Hipp. Car. Aldobr. pro. Dat.

Tho. Thom. Gaultierius.

Registrata apud eundem Thomam Secretarium.

A. de Alexijs.

Anno a Natiuitate Domini, Millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Indictione decima quinta, die
vero Veneris vigesima septima Mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D.
Sixti diuina providentia Papa V. Anno eius octavo: Retroscripta litterae Apostolicae affixa lecta & publi-
catae fuerunt in vultu seu portis S. Ioannis Lateranensis, & S. Petri Principis Apostolorum de Vrbe, nec
non Cancellarij Apostolice & acie Campistoria, & per aliquot temporis spatium dimissa, per nos Io. Baptista
degni, & Felianum Zaghetum S. D. N. P. Curf.

Alex. Parabiachus Mag. Curf.